

libris tradidit, qui quidem, si librum excipias « *De tuenda
valetudine* » ad Maecenatem, et aliquot formulae de compo-
sitionibus medicis, quas auctores referunt, interciderunt.

CCXXII. Huic aetati pertinet prima et pro temporum ratione expleta terrarum descriptio. Prolatis imperii finibus ad extremas maris oras, regionum figurae desiderabant eae, quae sub oculis, tamquam in conspectu, dominatus amplitudinem ponerent. Neque huic necessitati suppetere videbatur descriptio, quam Cornelius Nepos iam dedita opera fecerat, neque ea, quae passim a Caesare, a Sallustio, a Livio de singulis terrarum locis dicebantur. Hinc, Caesare rogante, ex senatus consulto doctis hominibus, quibus *M. Vipsanius Agrippa*, vir praeclarissimo ingenio rerumque usu praeditus, praeerat, munus officiumque datum est, ut terrarum Orbem et aspectum definirent, imperique provincias describerent, locaque omnia, regiones, urbium situs, maria, flumina, vias in tabulis pingerent, additis gentium tabulis et notitiis, quae in illis incolebant. In confiiendo opere, cum triginta plus annos consumpsisset necdum perfecisset, Vipsanius Agrippa mortuus est. Gloriosi laboris collegae atque socii opus post eius mortem. expleverunt eorumque cura « *Orbis pictus* » quem descripserant, in porticu Vipsania explicatus est, qui populo Romano peregrinisque imperii magnitudinem per imaginem explicaret atque superbe ostentaret.

Orbis pictus

CCXXIII. In geometriae quoque mathematicaeque studia, quae prius Romani aut non multum, aut nihil utilia arbitrantes neglexerant, in sidera spectanda, disciplinis omnibus atque rerum naturalium scientiis tot incrementa facientibus, eruditi quidam huius aetatis homines incubuerunt. Ex his *Lucius Tarutius* et *Nigidius Figulus* fuerunt, qui istas artes nobiles vel intra quotidianaे utilitatis fines continuerunt, vel etiam superstitionibus subiecerunt. Ceteras vero artes, quae ingenuae dicuntur, si litteras excipias, quarum ignarus fuit, *Vitruvius Pollio* in opere quodam celebratissimo, quod

*Mathema-
ticae et
geometriae
syntagma*

*Libri de
architectura*

*Vir. VI. de
architec. in
in prooem.*

*Librorum ar-
gumentum*

exstat « *De architectura* » vel passim attigit, vel pertractavit penitus. Vir enim hic singularis eam artis suae speciem mente conceperat, ut nullum ne architectonicae quidem artis vere peritum existimaret, ni eundem non pictura modo et sculptura, quibus architecti subsidio utuntur, satis pollere novisset, sed litteris, iure, legibus, sapientiae doctrinis eruditissimum invenisset. Id ipse in praefatione libri sexti aperte graviterque declarat : « *Itaque* » ait « *ego maximas infinitasque parentibus ago atque habeo gratias, quod Atheniensium legem probantes arte erudiendum curaverunt, et ea, quae non potest esse probata sine litteratura, encycloique doctrinarum omnium, disciplina. Cum ergo et parentum cura et praeceptorum doctrinis auctas haberem copias disciplinarum, philologis et philotechnis rebus commentariorumque scripturis me delectans, eas possessiones animo paravi e quibus haec est fructuum summa : nullam plus habendi esse necessitatem, eamque esse proprietatem divitiarum maxime, nihil desiderare. Sed forte nonnulli haec levia iudicantes putant eos esse tantum sapientes, qui pecunia sunt copiosi. Itaque plerique ad id propositum contendentes audacia adhibita cum divitiis etiam notitiam sunt consecuti. Ego autem, Caesar, non ad pecuniam parandam ex arte dedi studium, sed potius tenuitatem cum bona fama, quam abundantiam cum infamia sequendam probavi ; ideo notities parum est assecuta : sed tamen his voluminibus editis, ut spero, posteris etiam ero notus. Neque est mirandum, quid ita pluribus sim ignotus. Ceteri architecti rogant et ambiant ; mihi autem a praeceptoribus est traditum, rogatum non rogantem oportere suscipere curam ». Libros decem de architectura, cum senex esset, composuit eosque ad Octavianum Augustum misit. A primo ad librum septimum de aedificiis aliisque structuris agit deque ratione, qua architectus in iis exaedificandis symmetriam, decorem, distributionem consecutatur, in quo artis architectonicae pars praecipua consistit. In ceteris autem*

libris reliquias huius artis partes pertractat, quarum prima ad aqueductus extruendos pertinet, secunda gnomonice continentur, qua, solis luce et umbris indagatis, horologia solaria conficiuntur, tertia denique est de machinationibus, quae ad diversos usus inveniuntur. Praeter artis architectonicae per tractationem in libris loca reperiuntur, in quibus se facili ad rem musicam ingenio exhibet et pingendi insculpendique arte eruditum. Disciplinarum enim istarum notitiae multae intericiuntur, et rudimenta praeceptaque traduntur, quae ad has assequendas artes valde proficiunt. In exponendis rebus vocabulis artis propriis, quae ex Graeco sermone promuntur, saepissime utitur; alia vero ex lingua plebeia deponit adeo ut interdum, vel frequentius intellectu difficillimus sit. Hoc tamen rei ipsius abstrusitati potius quam scriptoris vitio tribuendum est; nam cum ex antiquis nullum opus de architectura, praeter Vitruvianum, ad nos pervenerit, ceterorum auctorum auxilio indigemus, quo illustrari et explanari possit. Ceterum Vitruvius illitteratum se hominem esse in prooemio librorum profitetur. Et revera plebeium dicendi genus in eo est et Latina elegantia scriptorum id aetatis indignissimum; nihilominus maximi momenti ponderisque sunt istiusmodi de architectura libri. Vitruvius enim eo reipublicae tempore floruit cum, Romanorum imperio orbis terrarum terminis definito atque pacatis gentibus, Caesar primum, Augustus deinde Urbem, populorum omnium caput et lucem, aedificiis novis, templis, porticibus exornandam, item viis latis, hortis magnificentissimis amplificandam curaverunt. Caesaris enim saeculo, insigne Caeciliae Metellae sepulcrum atque Pompei theatrum exstructum est; Sallustii et Servilii et Caesariani horti ad Tiberim pulcherrimis arboribus consiti sunt, ambulationibus instructi, statuis, diaetis atque id genus deliciis ornati. Aetate autem quae subsecuta est, Augusto in imperio dominante, publicis aut privatis impensis sumptuosissima aedificia condita. In his sunt *Theatrum Marcelli* in cuius

*Aedificia,
templa,
theatra, mo-
numenta
Caesaris et
Octaviani
temporibus
aedificata.*

dedicatione Augustus tigrim primus omnium Romae ostendit in cavea mansuetum; tum *Ara pacis* quae in Campo Martio sacrata est; tum *Porticus Octavia* quae in Augusti sororis honorem exaedificata est; tum etiam *Arcus triumphalis Drusi* atque rotundum Augusti sepulcrum, quod ex regia magnitudine *Mausoleum* est appellatum; tum praeterea C. Cestii Epulonis monumentum, in pyramidis formam erectum; tum etiam bibliothecae, villae, aedes, cetera huiusmodi aedificia; tum in primis templum ab Agrippa Caesaris iussu exstructum Iovique Ultori dicatum atque sacratum, quod ingenti mole rotunda atque Corinthio artis genere facile omnium pulcherrimum est dignissimumque quod in septem orbis terrarum miraculis habeatur. Pantheon nuncupatum est, vel quia «*in Martis Venerisque simulacris in ipso templo constitutis omnium deorum imagines essent effictae; sive quia ipsum rotunditate coelo persimile esset*». Videlicet mihi templum cuius altitudo tanta erat, quanta latitudo, in quo dii deaeque gentium omnium capi poterant, quod caeli in orbem convexi prae se speciem ferebat, terrarum domitores videntur exisse, ut per signum et monumentum amplitudinem magnificentiamque imperii, quam per Livii historias atque per divina Virgilii Horatiique carmina saeculis futuris manda- verant, architectonica arte effingerent atque exprimerent.

Dio. I. 53.
c. 27.

LIBER QUARTUS DE PRIMA SENECTUTE LITERARUM LATINARUM QUAE AB ANNO XIV POST CHRISTUM NATUM AD ANNUM CXVII EXTENDITUR

DE URBIS CONDICIONE SUB POTESTATE IMPERATORIA

I. Post Octavianum Augustum mortuum, qui in toto terrarum orbe tunc primum pacato ita sapienter moderateque dominatus erat, ut respublica etiam tum integra esse videatur, atque ipse de imperio deponendo de restituendisque civitati Romanae magistratibus suis consilium saepe mente animoque per voluntavisset, non summa modo rerum potestas et imperium apud unum principem manere perrexit, sed maiestas etiam et populi Romani dignitas rescissa funditus est atque penitus abrogata. Neque item senatui, qui consilio rempublicam adiuverat, neque consulibus, neque tribunis plebis, neque magistratibus popularibus reliquis, per quos sui moderandi potestatem populus habuerat, munera fungendorum, quae post reges electos demandata fuerant, facultas reliqua ulla fuit, neque cives quidquam, ut servile iugum a cervicibus deicerent, agere potuerunt. Leges iuraque scripta, in quibus ius totius civitatis et vis constiterat, ab imperatoribus antiquata sunt; quod contra principi placuit id legis nomen attigit pro iureque publico valuit. Hac civitatis regendae ratione non modo cives universos servitute oppressos tenuerunt, sed singulis quoque, si probi honestique essent, dignitas et libertas vivendi praecisa est. Ex gente Iulia qui post Augustum cum imperio et potestate in Urbe versati sunt, alius alio peior fuit. Tiberius in Augusti demortui locum suffectus, cum principatum novo statim Postumii Agrippae caedis facinore inauguravisset, qua erat natura crudelis et ferox, occultus ac subdolus fingendis virtutibus

*Impotens im-
peratoria
potestas*

primum, in scelera citius et dedecora simul prorupit, postquam, pudore et Seiani metu remotis, suo tantum ingenio usus est. C. Iulius Caesar autem, qui cognomento *Caligula* est appellatus, cum in morbum incidisset gravissimum, ex quo dolet eum convaluisse, insanus mente factus et furens, extremae crudelitatis ferociae et infamiae edidit monumenta.

II. Quo quidem necato, *Claudius* e palatii latibulis, quo se metu abdiderat, deprehensus a milite gregario praetereunte atque imperator salutatus, cum senex esset, et mente immunita et socors, imperium ad ministrandum libidinosis mulieribus assentatoribusque per misit, ut lepide arguteque Seneca in « *Ludo* » scriberet, toto eum anno celebrasse Saturni mensem, quo heris servi imperitare solebant. Omnia ex gente *Iulia*, qui imperium nancti sunt, deterrimus atque ferox et in primis civitati Romanae exitiosus Nero fuit, cui propter scelera immanitatesque universa generis humani conscientia infamiae notam inussit. Laetitia enim saevior et ferocior, non in cives modo privatos nullum exquisitissimum crudelitatis genus intermisit, sed in Urbem totam, in consanguineos, in matrem, in uxorem, in magistrum nefandissimis suppliciis saevit. Britannicum, militari laude insignem, sanguini necessitudine cum matre coniunctum, interposita causa quod dominatum affectaret, propinato per Locustam medicum veneno, interemit. Item Agrippinam matrem in mare deiectam necari per fraudem imperavit. Tum vesano urbis novae condendae desiderio motus Romam horribili incendio vastavit, cumque autem in se rumores plebis totius minaciter converti novisset, excusandi sui causa perfide incendi culpam in Christianos transtulit eosque poenis suppliciisque asperrimis consecutatus est. Detecta paulo post Pisoniana illa coniuratione, quam delictorum immanitate sua concitaverat, illustrium virorum sanguine caedibusque Urbem complevit, quibus Seneca, qui eius magister fuerat, et Lucanus poeta fortiter succubuerunt. Neque strage tot civium satiatus, Octaviam uxorem ipse morte

*Deterrimus
imperatorum
Nero*

affecit, ut Poppeam probrosissimis moribus in matrimonium duceret. Thraseas Paetus et Soranus Bareas, nobilissimi viri, eius iussu, interempti sunt. Monstrum hoc, qui temporum suorum expressa atque turpis ad verum imago est, abiectam et sordidam hominum condicionem ridicule significat. In theatris enim, Homeri aemulus Virgiliique ridendus, epica carmina canere solebat, certaminibusque quinquennalibus in bigis, cum cursoribus, cum musicis, cum palaestricis turbis gymnasticisque intererat. Ob facinora prava et ridenda, coorta legionum militumque conspiratione, desperata venia, cum sibi ense tandem mortem intulisset, incommodo maloque gravissimo vexatissimam Urbem atque imperium liberavit.

III. Res Romana cum in hanc dignitatis decorisque ruinam praeceps concidisset, honesta et proba privata omnia, si qua cladi superessent immani, necessario proruerunt in peius. Senatus civitatis quondam lumen et consilium, Romani cives, qui ipso civis Romani nomine recreabantur, servilem servitutem tulerunt, novis civitatis condicionibus indulse-runt aut paruerunt. Huc spectat quod de Tiberio, quotiens curia egrederetur, memoriae proditum est, Graecis verbis eloqui solitum: «*O homines ad servitutem paratos!*». Pauci, qui per vim impotentem unius dominationem refringere conati sunt, vel consilio suo saltem prudentiaque moderare, aut ab indicibus maiestatis crimine accusati et delati, capitibus poena multati sunt, aut ingrati imperatoribus facti mortem sibi stoice intulerunt. At contra apud imperatores huiusmodi, quibus odio invidiaeque erant virtutes, maximo favore novi homines atque ignobiles esse coeperunt. In his duo Claudi imperatoris liberti ponendi sunt, quorum alter Narcissus nomine ab epistulis, alter ab rationibus Pallas «*quos decreto quoque Senatus non praemiis modo ingentibus sed et quae-storiis praetoriisque ornamenti honorari libens passus est, tantum praeterea acquirere et rapere, ut, querente eo quon-dam de fisci exiguitate, non absurde sit dictum abundaturum*

*Homines ad
servitutem
parati!*

Tac. III.
Ann. 55.

Suet. in vit.
Claud. 28.

si a duobus libertis in consortium recipetur». Pravis in his Callistus, Crispinus, complures alii, quorum multis in locis Tacitus et Iuvenalis, probrosa et obscena facinora narrant.

*Morum de-
pravatio et
foeditas*

IV. Domestici quoque privatique mores, quos multis Octavianus Augustus legibus ad pristinam maiorum integritatem et dignitatem restituire tentaverat, magis magisque in dies imperatorum licentia praevertere, deteriores probrosioresque fiebant. Nihil honesti amplius in familiis, quae fortissimis viris floruerant, nihil sancti, nihil veteris decoris reliquum erat. Relaxatis itaque morum vinculis imminutaque quoque patria potestate, familiae illae bene constitutaæ, ex quibus respublica vires atque perennem iuuentutis florem hauserat, morborum vi quadam affractae primum labore deinceps dissolvi cooperant. In imperatorum etiam domo frequentissima adulteria erant, quæ poetae vel in satiris, vel in epigrammatis turpibus coloribus adumbrabant, frequentissima erant in civitate; nam, quas viri uxores duxerant, iure et prava consuetudine permittentibus, iisdem repudium dicebant. Qua ex re sequebatur, ut aut nulla esset in parentibus liberorum cura, aut illos servis libertisque saepius officio munericque ineptis erudiendos educandosque committed. Una cum hac libidine effrenata divitiarum quoque, ut par est, cupiditas et studium in omnium animos incesserat, ut, dummodo eam explerent, nulla iusti atque aequiratione cupidinis terminarent modum viaeque omnes, nulla honesti habita religione, pertentarentur. Hereditates autem, quae sine labore, sine defatigatione facile lucrum afferunt, suppositis per fraudem testamentis, vel beneficiis et propinquorum internecione, frequentissime carpi solebant. Homines novi, fortunis divitiisque locupletati, de domibus suis privatis sumptuosissime exstruendis certabant inter se, easque simulacris ex marmore, columnis, tabulis pictis, aureis argenteisque vasis, aliis deliciis huiusmodi decorabant. In certaminibus

gymnicis publice apparandis non imperatores modo, sed privati quoque profusos et perpetuos sumptus faciebant, iidemque domum, favorem ostentandi causa, amicorum et clientium turbas ad cenas et convivia invitabant. Exquisitissima ibi coquinaria arte mensae epulis cibisque peregrinis, potionibus instructae, cum tibiarum et vocum cantu, cum saltatricibus et choreis, apparabantur. Nimirum, qui libertatem dignitatemque amiserant beatam a se his oblectamentis deliciisque felicem vitam agi posse credebant.

V. Quid igitur mirum, si collabentibus maiorum institutis atque moribus, deficienteque scriptorum dignitate et libertate, litterae quoque ex perfecto artis gradu, ad quem superiore aetate pervenerant, aut humi maximam partem quasi exaustae procubuerunt, aut nova omnium consuetudine in tyranorum turpem assentationem gliscere coepere? Ex libertate enim in clarissimis quoque ingeniosis sententiarum granditas erumpit et ea verborum magnificentia, quae sincera sit nullo artificii pigmento fucata, et litterae ex scriptorum vitae dignitate maiestateque civitatis, in qua versantur, ita proveniunt et aluntur, ut in hortis consitae plantae arboresque procerae multo terrae nutriuntur humore et radiis solis foventur.

VI. Inter varia itaque poesis genera meliore aliqua usum fortuna sunt, quae minus ingrata tyrannis in rebus gestis versantur et heroibus. In his poemata epica quaedam recententur hac aetate, quae auream subsecuta est, haud indigna. Item in aliquo numero et honore habentur parva poemata didascalica et narratiunculae, quae fabulae dictae sunt; carmina contra lyricalia, quae ex animi sensibus spiritum hauriunt atque fabulae scaenicae, si quas excipias, iacent penitus. Idem de illis generibus dicendum est, quae oratione soluta utuntur. Oratoria fortis et virilis, quae liberae civitatis alumna quaedam et quasi munimentum est, foro comitiisque tacentibus, vim omnem atque nervos in suasoriis atque declamationibus amisit, quas primus Pollio instituerat. Neque eam

*Litterae in
assentatio
nem gliscunt*

*Generum
variorum
fortuna*

procumbentem erexit eruditissimus magister, Quintilianus, qui in Ciceronis vestigia frustra adducere contendit. Oratio autem soluta, quae in huius aetatis libris rerum naturalium est, in grammaticorum et philosophorum operibus, magis rerum, quae continentur, causa commendatur, quam dicendi genere et stilo probatur.

*Tacitus et
Iuvenalis
hominum
conscientiae
vindices*

VII. Opera tamen in suo genere perfectissima etiam haec aetas protulit, satiras nimirum et historias. Mortuo Nerone, cuius nomen ad tyrannum quemlibet crudelissimum significandum « θετικόν » factum est, res Romana in melius verti et libertas oppressa sub Vespasiano imperatore eiusque filio Tito tantisper caput extollere visa sunt; postea — interiecta Domitiani aetate, qui quidem ad imperii gubernacula ita superbe crudeliterque sedit, ut Nero alter appellatus sit — imperium etiam in pristinum liberae civitatis statum redire visum est, cum Nerva primus *res, olim dissociabiles* inter se miscuisset *principatum ac libertatem* auxissetque inde *felicitatem temporum* Traianus. His novis rerum condicionibus litterae erectae et quasi recreatae sunt; in hanc enim aetatem Tacitus incidit et Iuvenalis, quorum alter altero modo per historiam et satiram, ex moribus principum et civium occasionem nancti, uterque severissimus iudex, ex servitute generis humani conscientiam vindicaverunt.

DE AESOPIANIS PHAEDRI FABULIS

*Phaedr. III.
Fabul.
prooem.*

VIII. Phaedrus elegantissimus poeta aetatem auream inter et argenteam intericitur. Incorrupta enim sermonis Latini concinnitate cum superiore potius aetate coniungitur quam cum aequalibus, inter quos orationis forma et dicendi genere longe praestitit. Natione Thrax, in Pieria, quae in Macedonia est, aliquot a. Chr. n. annos humili admodum loco ortus est. Condizione servus Romam cum adolescentulus fere

venisset, Augusti liberalitate manumissus est. Seiani delatione maiestatis crimine sub Tiberio imperatore accusatus est, quod quibusdam in fabulis Tiberium et Seianum ipsum adumbravisset. Nova iudicij illius forma fuit, nam Seianus unus triplici accusatoris, testis, iudicis munere functus est. Quid autem de reo iudicatum sit, haud satis constat; ea profecto praesidia struxit ac molitus est delator, quae in posterum liberti animum refrenare et sermonem coercere valerent. Ad aetatem usque Claudii vixit eam animo gloriam affectans, quam ob asperrimas criticorum contumelias assequi nequiverat. Apud homines quoque, qui post eum fuerunt, eius memoria iacuit in tenebris. Neque enim Seneca philosophus eius meminit cum Polybium, Claudii Caesaris libertum, hortatur, ut, si suo nomini gloriaeque prospicere velit, apolos atque fabulas conseribat a Romanis ingeniis ad id tempus etiam intentata. Silentio eum obruunt Quintilianus, Gellius, Macrobius, etiam si in sermonem opportuna eius incidere mentio possit. Martialis vero eum, non quidem ut laudet, in epigrammate quodam memorat, et Avianus postea, qui quinto p. Chr. n. saeculo fuit, in epistula ad Theodosium post Babrium Graecum eum ut fabularum auctorem memorat et addit quinque ab eo fuisse fabularum libros conscriptos.

IX. Narratiunculis istiusmodi fictis, in quibus inanima vel animalia mentis expertia et arbores ut inter se, aut cum hominibus loquentes inducuntur, veteres iam Romani usi erant et ad docendos et ad ridendos homines, narrationis sensu ab illo, quem habent, traducto ad alterum, ut Menenii Agrippae fabula est, quam repetit Livius. In fragmentis *Originum* Catonis equi ac cervi fabellae mentio est, quam Aristoteles propriam Stesichoro addicit. Fabuae aliae passim in Ennii et Plauti locis quibusdam narrantur easque lepide et Horatius in suis satiris inserit. Eas Domitius Marsus primus a ceteris avulsas et per se quasi genus quoddam singulare in litteris Latinis pertractavit, quarum Charisius in institutionibus grammaticis nonum memorat librum.

*Phaedr. I.
Fabul. 2. et
III. proœm.,
41-44.*

*Senec.
Consol. ad
Pol. 27.*

*Mart. III.
Epigr. 20. 5.*

X. Quinque Phaedri libri, qui exstant, intercisi sunt et fabulis quibusdam detruncati. Eos «*Fabulas Aësopias*» inscrississe videtur, quia parte ex maxima a Graeco Aesopo vel ad verbum fere reddidit, vel imitatus est. Nonnullas tamen primus ipse invenit, quae haud inferiores ceteris, quas ab Aesopo deprompsit, habentur. Omnes, cum morum probitate et integritate, quae per apolos inculcat, tum quoque dicendi genere simplici, quod sermonis integritatem apprime redolet, valde probantur. Quid sibi in conficiendis fabulis proposuerit vel ex hac una fabula inferri facile licet :

*Muli gravati sarcinis ibant duo :
Unus ferebat fiscos cum pecunia,
Alter tumentes multo succos hordeo.
Ille onere dives, celsa cervice eminens,
Clarumque collo iactans tintinnabulum,
Comes quieto sequitur et placido gradu.
Subito latrones ex insidiis advolant,
Diripiunt nummos, neglegunt vile hordeum.
Interque caedem ferro mulum dant truci.
Spoliatus igitur casus cum fleret suos,
«Evidem» inquit alter «me contemptum gaudeo;
Nam nil amisi nec sum laesus vulnere».
Hoc argumento tuta est hominum tenuitas,
Magna periculo sunt opes obnoxiae.*

Phaedr. II.

Fab. 7.

Suavissimi Phaedri senarii sunt eleganterque compositi et ad artem concinnati. Vitia quaedam in rebus potius sunt quam in sermone; nam in describendis animantibus, ex quibus aliquod vitae praeceptum eruat, illis attribuit mores, qui non ex ipsorum natura sunt, sed falsos addicit, ut cum praecepto arctius cohereant, quam cum natura. Hanc ob causam cum fabulas, quae tenui genere humilique continentur, ad pravos ridendos homines adhibeat iisque, ut praecepta de moribus tradat, utatur, laudem quasi eandem, quae est

poetarum satiricorum propria, iure meritoque Phaedrus sibi vindicat. Ceterum dedita ut opera hominum mores castigaret, cum fabellas illas conscriberet, poetam intendisse ex ipsius verbis colligimus, qui «*duplex libelli dos est*» exordiens ait «*quod risum movet et quod prudenti vitam consilio monet*». Immo si tempora perpendantur, non homines cunctos indiscriminatae risisse invenietur, sed monstra et bruta carpsisse, qui imperatoria potestate et tutela praviter innixi, tamquam lupus ille in agnum ferociebat; eos videlicet, animantibus prudenter interiectis, per facilem significationem occulte, ut saluti suae prudenter consuleret, aggressus est.

*Phaedr. Prōl.
ad I. lib.*

*Non semper ea sunt quae videntur : decipit
Frons prima multos : raro mens intellegit
Quod interiore condidit cura angulo.*

*Phaedr. IV.
Fab. 2. 5.*

DE CARMINIBUS SATYRICIS

XI. In conficiendis vero carminibus, quae ex orationis forma et ratione proprio nomine satirica dicuntur, poetae nonnulli versati sunt, qui hac aetate floruerunt. Ex his autem alii aspero et vehementi dicendi genere usi sunt, quod ex Varrone depropserunt, alii aequabile et temperatum genus adhibuerunt, quod Lucilii Horatiique est proprium. Nec defuerunt, qui hos vicissim auctores interpetrati sint; modo illum imitati. In postremis Petronius Arbiter atque Lucius Annaeus Seneca recensentur. De Petronio multa disputata sunt; quae situm primo loco est, utrum idem hic revera sit ac C. Petronius ille, de quo multa Tacitus in annalibus tradit; an contra Petronius *Satirycon* auctor alias ab illo sit, etsi cum illo et ingenio et natura simillimus. De aetate quoque, qua vixisset, satis disputatum est. Nam cum sub Claudio et Nerone eum profecto floruisse inter omnes fere rerum scriptores conveniat, critici aliquot exstiterunt, qui Neapolitanum illum

*Quaestio-
nula de saty-
rarum
auctore
deque eius
patria*

fuisse et circa Antoninorum tempora vixisse censerent iidemque Neapoli scaenas, quae describuntur, collocandas putarent. Evidem ex operis sermone, cuius et emendata et Latina et expurgata locutio pro temporibus est, quibus Romani recte etiam loquebantur, ex stilo praeterea atque orationis forma, quae plerumque concinna atque elegantia sunt, aetateque aurea satis digna, qua nulla barbaries domesticas scriptores infuscaverat, illorum sententiae facile assentior, qui Petronium Neronis saeculo floruisse arbitrantur. Quod autem ad primam quaestionem attinet, rationibus bene persensis, cum illa, quae de C. Petronio apud Tacitum nobis traduntur, cum rebus et sententiis quae, in Satyrico leguntur omnino sint convenientia, unum eundemque hunc hominem Satyrici auctorem et Petronium illum Taciti fuisse ut credam impellor. In hac tamen, quaestione et incerta et difficili propter argumentorum tequitatem unicuique sequi liceat, quos rerum scriptores et criticos velit.

XII. Petronius singulari ingenio praeditus, etsi se a prima adulescentia vitiis libidinibusque tradidisset, nihilominus muneribus publicis summo cum honore functus est. In Bithinia administranda primum, et in consulatu deinde gerendo, navum et fortem hominem se praestitit, quo factum est, ut in curiam quoque a Nerone vocaretur, in qua *elegantiarum arbiter* evasit. Scilicet eo imperator libidinum deliciarumque ita administro atque socio scelerum utebatur, ut nihil reapse *amoenum et molle adfluentia* existimaret nisi quod ei *Petronius adprobavisset*. Attamen cum Tigellini in se odium atque invidiam concitatissset, qui alter quasi socius atque administer consiliorum principis esset, quod *scientia voluptatum potior* haberetur, a Tigellino falsis incriminationibus ad imperatorem delatus, sibi mortem inferre est coactus. Itaque Petronius cum cenam magnifico apparatu sibi atque amicis struxisset, inter *levia carmina et versus, quae post compotationes in conviviis certatim a convivis dici solita erant, arterias sibi stoice desecuit*.

Tac. XVI.

Ann. 18.

XIII. Sub Petronii Arbitri nomine nonnulla atque satis longa operis ad nos, quod « *Saturarum libri* » vel « *Satyricon* » inscriebatur, fragmenta pervenerunt, quae in libris decimo quinto atque decimo sexto continebantur. Quot vero libris opus integrum constiterit incertum est, quamvis eos ad viginti quidam adnumerent. In parte quae exstat, Eucolpium quendam, audacissimum hominem et fortunatum beatumque, itinera sua et sociorum, fortunae vicissitudines, inaudita flagitia narrantem facit. In pulcherrimo operis loco, qui in omnium manibus est, senis cuiusdam ditissimi eiusdemque insipientis, Trimalchionis nomine, rusticanos mores effingit, ceteraque, quam hic magnificentissime apparaverat, ridendi causa describit. Trimalchio itaque senex sonanti quoque nomine decoratus, cum homo novus sit ex nihilo ortus, eo vulgari plebeioque animo utitur, iisque moribus distinguitur, ut ex iis pristina asperitas putescat et redoleat. Ad coenam venientem in hunc modum depingit: *In his eramus lautitiis, cum ipse Trimalchio ad symphoniam allatus est, positusque inter cervicalia minutissima expressit imprudentibus risum.* Pallio enim coccineo adrasum excluserat caput, circaque oneratas veste cervices laticlaviam immiserat mappam, fimbriis hinc atque illinc pendentibus: habebat etiam in minimo digito sinistrae manus annulum grandem subauratum; extremo vero articulo digiti sequentis minorem, ut mihi videbatur, totum aureum, sed plane ferreis veluti stellis ferruminatum. Et ne has tantum ostenderet divitias, dextrum nudavit lacerum, armilla aurea cultum, et eboreo circulo lamina splendente connexum. Ut deinde spina argentea dentes perfodit: *Amici, inquit, nondum mihi suave erat in triclinium venire, sed ne absentivus mora vobis essem, omnem voluptatem mihi negavi. Permittitis tamen finiri lusum.* « *Potantibus ergo, et accuratissimas nobis lautitas mirantibus, larvam argenteam attulit servus sic aptatam, ut articuli ejus vertebræque laxatae in omnem partem verterentur. Hanc cum*

*Satyricon**Saturarum
argumenta**Petr. Satyr.
cap. X.*

super mensam semel iterumque abjecisset, et catenatio mobilis aliquot figuras exprimeret, Trimalchio adjecit :

*Heu, heu, nos miseros, quam totus homuncio nil est !
Quam fragilis tenero stamine vita cadit.
Sic erimus cuncti, postquam nos auferet Orcus.
Ergo vivamus, dum licet esse, bene.*

Laudationem ferculum est insecurum, plane non pro exspectatione magnum. Novitas tamen omnium convertit oculos. Repotorium enim rotundum duodecim habebat signa in orbe disposita, super quae proprium convenientemque materiae structor imposuerat cibum. Super Arietem, cicer arietinum : super Taurum, bubulae frustum : super Geminos, testiculos ac renes : super Cancrum, coronam : super Leonem, ficum Africanam : super Virginem, stericulam : super Libram, stateram, in cuius altera parte scriblita erat, in altera placenta : super Scorpionem, pisciculum marinum: super Sagittarium, otopetam : super Capricornum, locustam marinam : super Aquarium, anserem : super Pisces, duos mullos. in medio autem cespes cum herbis excisis favum sustinebat ». Tigellinum , praecipuum scelerum Neronis administrum et socium, qui rusticis Agrigentinis parentibus cum rusticus natus esset, cum Petronio de omni elegantiarum laude contendere postulaverat , sub ridenda Trimalchionis persona occultasse poeta videtur; in malam enim partem ceperat, quod Nero, potius quam sibi, Tigellino convivia illa et bacchanalia exstruenda commisisset, quae apud Tacitus memorantur. Id ex colorum similitudine quoque suspicamur, quibus Petronius et Tacitus certatim quasi eandem cenam illam depingunt.

XIV. Ex satyrarum igitur fragmentis, quae reliqua sunt, plenam et perfectam Urbis imaginem expressisse poetam colligimus, qui non modo Neronis libidines et lubrica omnia repraesentavit, sed errorum, cauponum rapacium, furum, poetarum malorum, rhetorum ieiunio laborantium mores

effinxit et malas rettulit artes, in quas civitas universa, prava studia Neronis secuta, procubuerat. Inter haec, quae ex rebus veris describit, diverticulorum instar, ut rem perpetuo librorum variet et novet, ex Milesiis fabulis obscoenitate refertis multa vel partim, vel ex integro quasi in satyricum transtulit. Ex Varrone autem, quo auctore et magistro usus est, dicendi genus deprompsit; nam partem alteram operis, quae maior est, soluta oratione, alteram versibus structura diversis composuit. Orationis forma singularis est, perspicua et elegantissima; argumentum tot ex rebus obscoenis exquisitum tanta morum luxuria aspersum est, quanta in curia atque in Urbe quae, scelerum omnium sentina evaserant, conspiebatur. Carminum, quae narrationi interiecta in satyrico reperiuntur, digna quae in primis memorentur duo sunt, in quorum altero, quod «*Troiae alosis*» inscribitur, poema illud Neronis per ridiculum detorquere videtur, quod vesanum ac furiosum monstrum, dum Urbs incendio vastissimo flagrat, Homerum aemulari ratum, lyra ludentem cecinisse in theatro traditum est. In altero, quod «*de bello civili*» est, epicis carminis perfectum quasi exemplar imitandum Lucano exhibuit, qui poemate nefaria civilia celebrare bella instituerat. Nimia hoc arrogantia Petronium fecisse arbitror; etenim si exemplar hoc cum Lucani carminibus composueris, eandem ipsam *furentis animi vaticinationem* ei deesse compereris, quam in illo scite quidem desiderat, sed suo inepte contendit exemplo docere.

XV. His Petronii satyrarum libris, tum rebus, quae pertractantur, tum dicendi genere — oratione enim soluta et versibus commixtis continentur — poema «*Ἀποκολοκύντωσις*» inscriptum accedit, quod L. Annaeo Seneca philosopho maxima criticorum pars ut proprium addicit. In poematio Claudi imperatoris ineptissimi apotheosis per satiram celebratur, qui propter imminutam mentem, qua usus est, cucurbitae glabrae assimilatur; item senatus ridetur, qui consuetudine principes

*Imago Urbis
in satiris
expressa*

*Ἀποκολο-
κύντωσις*

laudandi, ita pronus ad vilissima evaserat, ut, qui cucurbitae simillimus videretur, in deorum numerum referret. At poeta, quo animo erecto est, in contrariam sententiam discedit; in carminis propositione, quid dicturus sit, rerum scriptoris in modum enunciat: «*Quid octum sit in coelo ante diem III. idus Octobr. / Asinio Marcello, Acilio Aviola coss./ anno novo initio saeculi felicissimi, volo memoriae tradere. nihil nec offensae nec gratiae dabitur. haec ita vera, si quis quaesiverit, unde sciam, primum, si noluero, non respondebo. quis coacturus est? ego scio me liberum factum, ex quo suum diem obiit ille, qui verum proverbium fecerat 'aut regem aut fatuum nasci oportere'. si libuerit respondere, dicam quod mihi in buccam venerit. quis unquam ab historico iuratores exegit?*» In narrationis exordio Mercurius, qui semper ingenio Claudii delectatus esset, a Clotho, e tribus Parcis una, expetens inducitur, ut homini misero subsidio occurrat, quippe qui animam agere coeperit, nec invenire exitum possit, quamvis annus sexagesimus et quartus sit, ex quo cum anima luctetur. Ne illi, quem nemo umquam natum putet, neve reipublicae invideat, Clotho rogat, quae etsi pusillum temporis adicere illi statuerat, rogatione movetur, iubetque Claudium, Augurinum, Babam, uno anno exiguis temporum intervallis divisos, mori, ne illum incomitatum dimittat, qui modo se tot milia hominum sequentia, tot praecedentia, tot circumfusa videbat. Agit igitur Clotho, quod sibi agendum est. Claudius animam ebullit et ex eo desinit vivere videri.

Quid post Claudii mortem in terris actum sit, cum supervacaneum esse censeat referre, ad narranda, quae in coelo facta sunt, statim devertit. «Nuntiatur Iovi venisse quendam bonae statura, bene canum; nescio quid illum minari, assidue enim caput movere, pedem dextrum trahere. quaesisse se cuius nationis esset. respondisse nescio quid perturbato sono et voce confusa. non intellegere se linguam eius; nec Graecum esse nec Romanum, nec ullius gentis notae. tum Iupiter

Αποκριλ 1.

Αποκριλ 5.

Herculem, quia totum orbem terrarum pererraverat et nosse videbatur omnes nationes, iubet ire et explorare, quorum hominum esset. tum Hercules primo adspectu sane perturbatus est, ut qui iam non omnia monstra timuerit. ut vidi novi generis faciem, insolitum incessum, vocem nullius terrestris animalis, sed, qualis esse marinis beluis solet, raucam et implicatam, putavit sibi tertium decimum laborem venisse. diligentius intuenti visus est quasi homo. accessit itaque et quod facillimum fuit Graeculo, ait :

Τίς πόθεν εῖς ἀνδρῶν ; πόθι τοὶ πόλις ἡδὲ τοκῆς :

Claudius gaudet esse illic philologos homines: sperat futurum aliquem historiis suis locum. itaque et ipse Homericō versu Caesurem se esse significans, ait :

Ἔλιόθεν με φέρων ἀγεμος Κικόνεσσι πέλασσεν.

erat autem sequens versus ἵεριον, aequē Homericus,

Ἐγθα δ' ἐγὼ πόλιν ἔπραθον, ὥλεσα δ' αὐτοῖς ».

Deinde ementitur deos in concilio de Claudiī sorte inter se disputare : Febris, dea a Romanis antiquissimis temporibus inde culta, quae, fano suo relicto, sola cum Claudio in caelum venerat, caelicolas illum mera mendacia docet narrasse; Lugduni illum, in Munatii municipio, natum dicit, lapidem ad sextum decimum fere a Vienna, Gallum germanum, qui, quod Gallum facere oportebat, Romam cepit. Se defendere Cladius ipse conatur; at Iovi in mentem venit privatis intra curiam morantibus sententiam dicere non licere, nec disputare. Cladius dimittitur, ut, reo amoto, iudicium fiat. Dii deaeque sententiam dicunt; tandem ex Augusti rogatione decernitur ut Cladius intra diem tertium ex Olympo semotus in Tartara mittatur. Sententia ex tabella recitatur : « *Quandoquidem divus Cladius occidit sacerum suum Appium Silanum, generos duos, Magnum Pompeium et L. Silanum,*

socerum filiae suae Crassum, frugi hominem, tam similem sibi quam ovo ovum, Scriboniam socrum filiae suaे, uxorem suam Messalinam et ceteros, quorum numerus iniri non potuit: placet mihi in eum severe animadvertis nec illi rerum iudicandarum vacationem dari eumque quamprimum exporari et caelo intra triginta dies excedere, Olymbo intra diem tertiam. ». Lata ex sententia Mercurius Claudium ad Tartara dicit. Romanis vivis non minus acriter illudit quam imperatori mortuo irridet; nam, quem dii e caelo depellunt, eundem patres, iurisconsulti, causidici, dum efferunt, deflentes in numero deorum inani magnis cum laudationibus componunt:

**Apollon. 12.*

« *Nec mora, Cyllenius illum collo obtorto trahit ad Inferos,*

unde negant redire quemquam.

dum descendunt per viam Sacram, interrogat Mercurius, quid sibi velit ille concursus hominum, num Claudii funus esset? et erat omnium formosissimum et impensa cura, plane ut scires deum efferri: tubicinum, cornicinum, omnis generis aenatorum tanta turba, tantus concentus, ut etiam Claudius audire posset. omnes laeti, hilares. populus Romanus ambulabat tamquam liber: Agatho et pauci causidici plorabant, sed plane ex animo. iurisconsulti e tenebris procedebant, pallidi, graciles, vix animam habentes, tamquam qui tum maxime reviviscerent. ex his unus cum vidisset capita conferentes et fortunas suas deplorantes causidicos, accedit et ait: dicebam vobis, non semper Saturnalia erunt. Claudius ut vidi funus suum, intellexit se mortuum esse, ingenti enim μεγάλῳ χορυτῷ naenia cantabatur anapaestis:

Fundite fletus!

Cordatus homo,

Editite planctus!

Quo non aliis

[Fingite luctus!]

Fuit in toto

Resonet tristi

Fortior orbe.

Clamore Forum:

Ille citato

Cecidit pulchre

Vincere cursu

<i>Poterat celeres,</i>	<i>Potuit citius</i>
<i>Ille rebelles</i>	<i>Discere causas</i>
<i>Fundere Parthos</i>	<i>Una tantum</i>
<i>Levibusque sequi</i>	<i>Parte audita,</i>
<i>Persida telis,</i>	<i>Saepe et neutra.</i>
<i>Certaque manu</i>	<i>Quis nunc iudex</i>
<i>Tendere nervum,</i>	<i>Toto lites</i>
<i>Qui praecipites</i>	<i>Audiet anno ?</i>
<i>Vulnere parvo</i>	<i>Tibi iam cedet</i>
<i>Figeret hostes</i>	<i>Sede relicta,</i>
<i>Pictaque Medi</i>	<i>Qui dat populo</i>
<i>Terga fugacis.</i>	<i>Iura silenti,</i>
<i>Ille Britannos</i>	<i>Cretaea tenens</i>
<i>Ultra noti</i>	<i>Oppida centum.</i>
<i>Litora ponti</i>	<i>Caedite moestis</i>
<i>Et caeruleos</i>	<i>Pectora palmis,</i>
<i>Scuta Brigantas</i>	<i>O causidici</i>
<i>Dare Romuleis</i>	<i>Venale genus !</i>
<i>Colla catenis</i>	<i>Vosque, poetae,</i>
<i>Iussit et ipsum</i>	<i>Lugete, novi,</i>
<i>Nova Romanae</i>	<i>Vosque in primis</i>
<i>Iura securis</i>	<i>Qui concusso</i>
<i>Tremere Oceanum,</i>	<i>Magna parastis</i>
<i>Deflete virum,</i>	<i>Lūcra fritillo !</i>
<i>Quo non aliis</i>	

Aeacus delectus iudex, qui sontium peccata exquirat et supplicia inferat, ludibrio eum habet, novaque poena eum alea ludere pertuso fritillo in perpetuum iubet. Inter eruditos de Ἀποκολοκυνθώσεως auctore satius disputatum est, utrum Annaeus Seneca revera ille sit, an potius cuidam alii auctori satira sit ascribenda. Lis hactenus sub iudice est; nam cum res et sententiae poematis nec non dicendi genus ipsum e, versuum numeri haud absona a ceteris Senecae scripturis videantur, valde nihilominus repugnat quominus Claudium

eundem, cui vivo saepe assentatus esset philosophus, nulla demortui habita religione, maledico dente carpsisse credatur.

A. PERSIUS FLACCUS

XVI. Lucilianam contra morum castigandorum urbaniorum rationem, qua Horatius usus erat A. Persius Flaccus, qui, Nerone quoque imperante, floruit, in satiras suas rettulit. Equestri familia trigesimo quarto p. Chr. n. anno Volaterris in Etruscis in lucem editus est. Patre cum nondum sextum aetatis annum ageret orbatus, in Fulviae Sisennae matris sinu educatus, ex matrona nobilis egregiique animi vitae simul usum et rudimenta sapientiae didicit. Romam deinceps cum venisset, Verginium Remmum Flavum rhetorem atque Palaeomonem grammaticum audivit, qui postea a Nerone propter eloquentiam, qua adulescentes in libertatis studium incendebat, exilio multatus est. Sedecim annos natus in deliciis Annaeo Cornuto magistro fuit, quem grammaticam et stoicorum sapientiam pueris tradentem cum M. Annaeo Lucano condiscipulo audivit. Sanguinis necessitudine cum P. Thrasea Paeto cuniunctus, qui postea capitis a Nerone damnatus est, in eius familiaritate ad obitum usque constantissime vixit. In patris autem loco Servilium Nonianum coluit, qui fuit clarissimus orator atque ex schola stoicorum philosophus nobilissimus. Serius Senecam suum aequalem novit, cuius tamen ob ingeniorum dissimilitudinem minime studiosus evasit. Ex animo miti atque egregia indole, quae a natura acceperat, ex materna institutione, ex praeceptis et exemplis clarorum hominum, cum quibus in amicitia fuit, in temporibus ad immanitatem omnem proclivioribus, modestia, temperantia, iustitia ornatus fuit, quae lenioribus virtutibus continentur. Lucilii satirarum lectione vehementissime permotus, in satras conficiendas se contulit, quarum cum iam

Tac. XV.
Ann. 71.

librum scripsisset, necdum perfecisset, ex stomacho laborans, duodetriginta annos natus defloruit, amicis spe illa deceptis, quam de eo conceperant animo. Satiras, bibliothecam, rem familiarem hereditarias Annaeo Cornuto reliquit, quo, ut modo diximus, adulescens magistro probatissimo usus erat; hic tamen, bonis ceteris repudiatis, ut in demortui sororem concederent, libros tantum et satiras adiit. Quibus evulgandis cum extremam manum ipse admovisset, et versus quosdam subduxisset, qui minus in contextu adhaerentes viderentur, Caesius Bassus poeta, qui a pueris Persii amicissimus fuerat, ab eo postulavit, ut sibi satiras rescribendi atque emendandi munus deferretur. Ut primus igitur in lucem liber prodiit, omnium probatissimorum hominum in se admirationem convertit. Huius favoris testis Quintilianus est, qui Persium summopere laudat; «*multum*» ait enim in institutionum libro decimo «*et verae gloriae, quamvis uno libro, Persius meruit*». Quam quidem laudem etiam Martialis confirmat.

XVII. Sex in Persii libro satirae continentur, quibus prava eius memoriae vitia praecipua ridentur. Etenim litteratos homines et poetas in prima carpit, qui nimio fucatae studio granditatis incensi, opimo quodam in libris conscribendis et tamquam adipato dictioris genere uti consuerant. Deorum cultum in secunda exprobat, qui sacrificiis atque victimis mactandis tantummodo continetur, neque vitae sanctitatem et honestatem inculcat. In ceteris poeta, stoicorum doctrinis imbutus, virtutem illam, cuius ipse imaginem expressam prae se tulerat, hominibus suadere contendit. Hinc tristem quasi et durum praceptoris vultum habitumque induens, modo adulescentes nobili loco natos, qui in deliciis libidinibusque aetatem agunt, detrectat, ut recte videndi rationem doceat, modo in eos invehitur, qui, nulla sapientia comparata, reipublicae regendae munera, quod divites sint, aucupantur. Satira quinta, quae ex omnibus maximo pretio est, de libertate vera agit. Celebratissimi in ea loci duo sunt, quorum in altero

*Quint. X.
Instit. I. 94;
Mart. IV.
Epigr. 29.*

*Satirarum
argumentum*

*Pers. Sat. 5.
83-90.*

*Pers. Sat. 4.
19-29. et
41-42.*

gratos animi sensus in Cornutum magistrum suum candide ut adulescens fundit; in altero, cum divitiarum cupiditati et voluptatum libidini sermonem et humanam formam per rhetorum fictionem attribuat, colloquentes inter se et disputantes repraesentat. In satira denique sexta, quae postrema est, de rebus domesticis, quas fortunae beneficio munereque habemus, bene sapienterque utendis sermo est; videlicet homines ad stoicorum philosophorum doctrinas erudit, quo modo et ratione ad vitae commoditatem conducere possint.

*Satirae e
praeceptis
magis quam
ex vitae usu
proveniunt*

XVIII. Persius in bonis, cum rerum et sententiarum dignitate, quae in satiris continentur, tum orationis forma, numerandus auctoribus est. In rebus tamen inveniendis, cum ex stoicorum praeceptis potius quam ex communi usu vitae et experientia proficiscatur, satiricorum poetarum modum longe excedit, caret enim salibus et aceto, perditosque hominum mores acerbius; instar declamantium aetatis, et tristius perstringit. Item orationis genus, quo utitur, quamvis elegans est atque concinnum urbanumque, iis tamen quasi verborum tenebris offunditur, ut saepe non nisi multo labore intelligatur. Ceterum id vitae potius brevitati, quam poetae vita esse tribuendum puto; nam, cum adulescens in quasi aetatis flore intercidisset, fortasse impeditus est, quominus carmina, quae scripserat, ad unguem perpoliret atque emendaret. Quod si contra diutius vixisset, non ea modo perfectiora et meliora fecisset, sed cum novam in dies Urbs materiam afferret, longe plura edidisset. A patribus nostris Persius probatus est, qui stoicorum in se morum perfectam dignitatem expresserit.

DECIMUS IUNIUS IUVENALIS

XIX. Ex duabus diversis poetarum satiricorum scholis Decimus Iunius Iuvenalis provenit, qui cum Lucilii atque Horatii urbanitatem secutus esset, idemque cum Varrone et

Petronio dicacitate certavisset, ut secundum locum in tabulis poetarum satiricorum occupavit, ita inter optimos scriptorum fuit qui, aetate hac, quam appellant argenteam, floruerunt. Quamquam multa de D. Iunio Iuvenali nobis a veteribus scriptoribus tradita sunt, pauca tamen certis rerum constant argumentis. Etenim quo anno natus sit, satis ambigitur; alii eum anno quinquagesimo quinto in lucem editum p. Chr. n. credunt, alii contra septimo et quinquagesimo, alii denique circa sexagesimum. Aquinas certo fuit, in oppido Volscorum, nobilissimo loco natus. Ad medium fere aetatem, ut tunc temporis apud omnes in consuetudinem venerat, declamationibus Romae se tradidit; at postea, cum satiris conficiendis operam posuisset, hominesque novos vehementer adgressus esset, qui per malas et sordidas artes honores sibi comparavissent, insimulatus est, quod etiam si homines vita functos perstringeret, ficte et simulate tempora sua infamia reapse notaret. Traditum memoriae est eum, quod in pantomimum Paridem, qui ab Hadriano multum amabatur, petulanter in satira septima invectus esset, cum senex iam octogenarius esset, Urbe ab imperatore summotum fuisse; ob eandemque causam per speciem honoris ad praefecturam cohortis in extremam Aegypti partem missum, ibique vitae taedio confectum exsiliique angore dilaceratum periisse.

XX. Iuvenalis, praeter ultimam, quae postremis versibus intercisa est, quindecim exstant satirae integrae, quae varietate rerum et abundantia in pulcherrimis litterarum Latinarum habentur. Materiam satirarum ex corruptae civitatis moribus desumpsit, quae, cum pacis malis et saeviore armis luxuria laboraret, vitiorum omnium putida quaedam evaserat sentina:

*Quidquid agunt homines, votum, timor, ira, voluptas
Gaudia, discursus, nostri est farrago libelli.*

Aspera eius carminum Musa indignatio atque stomachus est:

Si natura negat, facit indignatio versum.

*Iuv. Sat. 4.
318-322.*

*Sidon. Carm.
9. 270; Auct.
vit. sub num.
VI. et V.*

Satirarum res

*Iuv. Sat. 1.
85-86.*

Iuv. Sat. 1.79.